MAGISTRO OPTIMO,

VIRO

PRÆCLARISSIMO DOCTISSIMOQUE,

DOMINO

WENCESLAO JOHANNIDI,

Gymnasii Thorunensis Professori

& Visitatori

per XXVI. annos præclarè merito,

a. d. XV. Nov. A. M.DCCI. rebus humanis exemto,

& d. XX. ejusd. Mensis, sive Dom. XXVI. post Trinitatis,

in Templo B. MARIÆ

honestissimis Ceremoniis tumulando,

DE MAGNA IN COELIS MERCEDE

gratulari,

& simul Heredibus ejusdem mœstissimis

mitiora Fata apprecari

voluerunt

Gymnasii dicti

RECTOR, PROFESSORES, VISITATORES

& COLLEGÆ.

EX TABERNA TYPOGRAPHICA THORUNENSI.

Res mira!

Duo Profeſſores, Socer & Gener, eodem die & hora ACTUM,
privatum alter, alter publicum,
apud nos exhibuerunt.
Dixerim, ſimile qvid in Gymnaſio noſtro vix obſervatum fuiſſe.
Orationum argumentum erat FORTUNÆ injuria.
Uterque nimirum Ejusdem Impetum,
Et Gener qvidem dicendo, qvidnam Ea in Omnes;
Socer docendo, qvidnam in Philoſophos, deſignet;
Ille per alias, hic in propria, perſona;
Ille in theoria, hic in praxi,
ſiſtebant.
Digna profecto ad dicendum pariter & docendum materia!
Qvid vero? an idem qvoqve utriusqve Eventus fuit?
Immo vero Gener Actu ſuo lætitiam, Socer luctum, excitavit.
Prioris Orationes cum prolubio, poſterioris cum gemitu,
exceptæ fuerunt.
Ille Auditorium contentum, hic diſtentum, à ſe dimiſit.
In promptu cauſa eſt:
Ille de Fortuna triumphaſſe; hic ſuccubuiſſe, videbatur.
Attamen bona Verba, Lectores!
Eqvidem (ſalvo aliorum judicio) utrique; magis tamen huic, qvam illi,
gratulandum eſſe cenſeo.
Illius argumenta *Eruditionem*, hujus *Pietatem*, ſapiebant magis.
Cl. REZIK *perorando*, B. JOHANNIDES *moriendo*, Fortunæ fata
ſuperare docuit.
Beatæ Analyſeos ACTUS eſt omnium Nobiliſſimus.
Macti proin eſtote Actibus veſtris, Viri Optimi;
Alter inter *homines*, alter inter *cælites*, Applauſum promeruit.

* * *

In memoriam deſideratiſſimi Collegæ & Compatris deprop.
M. GEORGIUS WENDIUS, R.

DUm varios caſus variæqve pericula ſortis
Gymnas præſentat, multiplicatque probè.
Tu nobis, dilecte DEO, Collegaque Lecte,
Fortunæ triſtes vis ſupereſſe vices.
Sic eſt. Te magni Domini ſuprema voluntas
Fortunæ ſocium noluit eſſe diu.
Effugis extremos Fortunæ flebilis auſus,
Mens tua fortunam ſpernere tuta poteſt.
Nunc ſine fortuna vivis, viveſque per annos
Innumeros, nos ſed ſors inimica premit.
O Te felicem, Te terque qvaterqve beatum!
Cum fugias mundi fata tremenda mali.
Palladis hic artes felix de monte Cathedræ
Tradebas geniis ingeniiſque bonis.
In lingvis ſacris, nec non pietate peritos
Reddebas multos & ſine labe choros.
Qvidqvid ad Auſonias potuit ſpectare Camœnas
Hoc ſtetit, arbitrio, *Neſtor amœne*, tuo?
Carmina cantaſti, verſus Tibi Muſa paravit
Promptos & faciles & ſine bile graves.

Poſt

Poſt tot Siſyphii certamina dura laboris
In Patriam tendis, *grandis Apollo*, tuam.
Vidimus infirmum corpus, vireſqve minutas,
Senſimus & dictas corde gemente preces.
Nam lecto fixus moriendi dogmata ſana
Hauſiſti, & facilem ſcandis ad aſtra viam.
Nunc Tibi ſuccreſcunt prolixo ſecula cenſu,
Lucidiusque micans Luna propagat iter.
Fama canit meritum: mollis quia funera ceſpes
Excipit: Angelicas mens ovat inter opes.
I *Venerande Senex*, poſt tædia longa qvieſce,
Eqve manu Domini præmia ſume tui.
Sed Genero DEUS omnipotens ſtirpique dolenti
Ipſe Patris chari pharmaca grata paret.

Piis manibus Pracl. Domini Collegæ nunqvam irati, nunquam conciliati, nunquam doloſi, gemente animo, flente calamo ſ.
M. MARTINUS Böhm.

EX improviſo placide *venerabile Nomen*,
Profeſſor Senior, vita diſcedit, & absqve
Anxietate necis, conſcendit cœlica tempe.
De SENE ſic Noſtro verum factum eſſe putamus,
Qvod multis fertur, quod dogmata ſacra fatentur.
Contrahimur, miroqve modo decreſcimus ipſi,
Diminui noſtri qvoqve corporis oſſa videmus,
Et prius in cellis noſtris, qvam ſenſimus auras,
Ex templo tenues vitam exhalamus in auras.
Vivimus humanos bis ſeptem luſtra per annos,
Ad ſummum vitæ vix luſtra bis octo videmus:
Totaqve vita fuit moleſta, laboribus aucta,
Angore & curis, miſeri completa doloris.
Sed qvid tum? DOMINUS duriſſima tempora paſſos
Lætitia affundit tanto majore fideles,
Ducit & ad celſos poſt tempora nubila cœlos!

Deſideratiſſimo Præceptori, & per XIV. annos Collegæ & amico ſuo nunquam reconciliato, in ſignum condolentiæ ſcrib.
PAULUS PATER.

HYgea juſtis plena gaudiis erat;
Quòd lachrimans autumnus absque funere
Deceſſerat: qvi vel Senectæ noxius
Conſvevit eſſe. Capta verùm gaudia,
En, prima bruma fletibus permiſcuit,
Dum lugubres Scholæ Cupreſſos intulit.
Nam ſæva traxit, proh dolor! JOHANNIDEM
Erynnis ad ſua regna: qvi vitâ pia,
Candore, doctrinaque lucens lampadis

In-

Inſtar, Juventam reddidit doctam, piam.
Curas nec has poſuit priùs, qvàm ſpiritum.
Hinc conſcientiam intulit cœlo bonam.
Ubi ſatur voto, & Redemptoris Dei
Amore plenus fulget aſtris par vagis.
At ſera poſteritas Eum meritò canet.

Lmq; pauca hæc adjecit
M. MARTINUS BERTLEFFIUS,
Prof. Publ. & Viſit.

SIc, Venerande Senex, poſt tot confecta laborum
Tædia, nunc placide vitam deponis acerbam?
Tu lubens vanum mundum ſterilemque cathedram
Linquis, & excelſi properas ad gaudia cœli:
Fac, ô magne DEUS, cum nos rapit invida Parca,
Ut nobis pariter, tam leniter oſſa qvieſcant!

GEORGIUS LEHMANNUS, Gymn. Coll.

GYmnaſii Doctor cecidit non ultimus eheu!
Tempore qvi longo dogmata ſana dedit.
Dogmata ſana dedit; nobis Hebraica lingva
Græcaqve ſint teſtes, qvas docuiſſe patet.
Teſtis & eſſe poteſt ipſa ignorantia, victa
Non ſemel abs illo; Teſtis & ipſa Schola.
Id qvoqve devinctus lachrymis teſtatur acerbis
Muſarum Numerus, dogmata ſana petens.
Vir nunqvam timuit qvemvis ſufferre laborem;
Poſtulat en! potius plura docere ſenex.
Fruſtratur tamen hos conatus Numen in aſtris,
Dum placida munus cedere morte jubet.
Hic poſtqvam conſtans abſolvit penſa laborum,
Nunc habet in cœlis gaudia cuncta, DEUM.

Paucula hæcce in honorem Viri defuncti adjicere voluit
GOTHOFREDUS LANGNERUS,
Cant. & Colleg. Gymn.

TRiſtia poſt cantum MARTINI fata ſuperſunt
Flenda, qvibus lugent limina clara Scholæ.
Nam cecidit noſtri pars non poſtrema Lycei,
Annis, & variâ cognitione *Senex*.
Qvem DEUS ex multis curisqve malisqve redemit,
Et voluit cœli proſperitate frui.
Sit bene defuncto! ſit ſpiritus arcis alumnus
Æternæ! Mœſtos fata benigna beent!

His paucis Virum Præclariſſimum beatè defunctum, pro innumeris beneficiis & affectu ſincero, ad tumulum lugens comitari voluit ac debuit
CHRISTOPHORUS WOYT, Collega.

PLangite, Pierides, conſcribite Carmina mœſta!
Nam, qvi nunc moritur, vivificavit Epos.

JOSUA GALLASIUS, Collega.